

*Num Christus in Pauli apostoli scriptis
deus appellatur?*

DISSERTATIO

QUA AD AUDIENDAM ORATIONEM
PROFESSIONIS THEOLOGICAE
EXTRAORDINARIAE

IN

**ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
TURICENSI**

RITE ADEUNDAE CAUSA

D. XXVIII. M. OCT. A. MDCCCXXXVII. H. XI.

IN AULA ACADEMICA

HABENDAM

EA QUAE PAR EST OBSERVANTIA INVITAT

MELCHIOR ULRICH

V. D. M.

TURICI

TYPIS ORELLII, FUESSLINI ET SOCIORUM

MDCCCXXXVII.

Non dicitur in hunc apertis scriptis
dicitur appellat?

SECRET

ON A PROPOSAL FOR A

PROFESSIONAL THEOLOGICAL

ACADEMY

BY THE REV. JOHN W. BROWN,
OF THE CHURCH OF ENGLAND.

LONDON:

PRINTED BY J. JOHNSON, ST. PAUL'S CHURCH-YARD.

1841.

1841.

BY THE REV. JOHN W. BROWN,

OF THE CHURCH OF ENGLAND.

SECRET

PRINTED BY J. JOHNSON, ST. PAUL'S CHURCH-YARD.

1841.

Deus animus est, homo animus est; animus autem aeternus, nec quidquam perfectius. Nec perfectior reddi potest, cum alioqui etiam deminutioni esset obnoxius, quod viribus, animo a nobis tributis, repugnat. Sempiternus autem animus non tantum quod ad tempus futurum pertinet, verum etiam simul quod ad tempus praeteritum. Nec nasci poterat; si enim e nihilo, quod omnino cogitari non potest, originem duxisset, accidere poterat, ut in nihilum reverteretur. Igitur, quod certe ad animum pertinet, deus et homo similes sunt. Quid ergo inter deum et hominem interest? Non differt uterque animo, sed eo, in quo animus versatur. Dei animus in mundo versatur, in toto, in tota natura rerum, sive oculis humanis perspiciuntur, sive eos fugiunt. Humanus vero animus in corpore versatur. Dum ei inest, id regit ab eoque vicissim regitur, una cum eo a prima inde origine quodammodo augetur et excolitur, quod esse desinit, simulatque officia corpus recusat et mutua munera interitu corporis dissolvuntur. Tali ratione dei animus in corpore mundi, quam terram dicimus, manifestatur, omnium autem rerum in quibus hac in terra versatur, nihil perfectius corpore humano. Id experientia multorum millium annorum docemur, unde vere colligi potest, eam rem legi-

bus naturae constitutam esse, nec ullam dari eius rei exceptionem, nec unquam perfectiorem animi divini speciem in orbe terrarum cogitari posse. Quod si enim aliquae res exceptiones facerent, simul concederetur, hanc naturae legem, quae pariter ac ceterae leges naturae a deo originem trahit, non tam perfectam esse quam esse debet. Id autem fieri non potest, quia a deo nihil nisi perfectum atque omnibus numeris absolutum generatur. Ac similitudinem quandam rei sequentibus contendere licet: sicuti mundus sive terra, in qua vivimus, ab animantibus incolitur; (nihil autem omnino sine animo dei vigente vivere potest) ita in ceteris sideribus, quae innumera in coelo fulgent, incolas similes degere, qui animo non differant ab iis qui terram incolunt, (quippe animus perfectus atque absolutus semper et ubique idem est,) corpore vero differant, sive crassius sive politius est, certe consentaneum generi mundi, quem habitandum dedit natura. Inde intelligitur, animum divinum, si ea specie aut eo corpore induatur, quod sibi in alio mundo proprium erit, secundum eandem legem in terra hac, in qua vivimus, non solum non potentem sed ne visibilem quidem sive sensibilem esse posse: verum cum ea ratione, quae huic terrae maxime accommodata est, quam maxime vigere et agere volet, id corpore humano fieri necesse est. Atque animus coelestis in corpore humano inclusus nescit, quot cursus vitae iam percucurrerit, quot posthac sit percursurus; id enim is tantum, qui omnia penetrat, deus, scit. Item ignorat, utrum a corpore separatus ad deum revertatur an in alio quodam corpore denuo exurgat ac vigeat.

In hac igitur terra nulla est homine species animi divini perfectior. Ut vero singuli homines corporis auctu ipsi excoluntur, ita totum genus humanum per secula intelligentia augetur atque procedit, idque in cognitione dei maxime perspicitur. Quo enim rudiores populi et ab omni cultu magis abhorrentes sunt, eo obscurior atque inanior cognitio dei. Inde tam diversa illa conamina sunt orta, cognitionem dei, quae homini insita esse videtur, propterea quod homo secundum animum deo similis est, quam certissimis argumentis explanandi et demonstrandi; inde tam multi religionum diversarum auctores extiterunt. Quo magis autem ii viri animi et ingenii dotibus praediti virtutibusque ornati erant, quo perfectius erat corpus, in quo animus eorum vixit, quoque excelsiorem formam atque speciem referebat, quo melius denique animus moderabatur corpus nec libidinibus vel voluptati obnoxius fuit, eo puriore atque praestantiore cognitione dei fuit imbutus. Id vero in Christum, auctorem illius religionis maxime cadere arbitror, cuius nosmet ipsi sumus asseclae. Ille enim eam condidit religionem, cognitionemque dei ingenii atque animi ope tantopere excoluit atque erudivit, ut post longissimum annorum spatium plerisque fere hominibus doctrina atque praeccepta eius satisfaciant, et cuncta, quae de rebus divinis scire cupimus, nos edoceant. Nec vero hac re id, quod supra diximus, tollitur. Christus homo fuit pariter atque ceteri homines, et ab his non animo differabat, sed corpore perfectiore praeditus erat, et eo tantum, quia animus eius fini, qui homini in hac terra et in hoc corpore propositus est, prorsus satisfaciebat,

cognitio dei, quam in Christo admiramur, tam pura atque excelsa fuit. Sed quamvis id concedamus, tamen negari nequit, aliquando fortasse fore, ut alter religionis auctor cognitionem dei magis etiam augere atque ornare, piisque votis hominum magis satisfacere possit. Nam sicuti in animalibus aperte perfectio corporum deprehenditur, quae certa ratione et certo seculorum numero orta est, quaeque lente quidem nec palam at certe procedit (id quod scrutatores naturae peritissimi nuper docuere): ita perfectio humani quoque corporis cogitari potest, atque adeo verisimile est, tale quid iam illis temporibus, quae ab historia nondum illustrantur, factum esse: id quod variae hominum species ex parte demonstrant.

Haud difficile est, alia plura eiusdem argumenti adiicere et ad vitam humanam vario modo referre, attamen ei, qui hic mihi propositus est, fini hoc, quod dixi, satisfacere puto. Id enim documento esto, me, nulla vulgi opinione, nullo studio praeoccupatum, ad quaestionem, quae mihi hoc loco erit solvenda, venturum esse. Equidem non aliam inter deum et Christum cognitionem sive coniunctionem esse puto quam eam, quae inter deum atque reliquos homines est. Ita quaeritur, qualis coniunctio esse videatur Paulo, atque adeo an eo usque procedat, ut Christum esse deum contendat. Quomodo autem cumque haec solvatur quaestio, id tantum refert, quod cum tanto homine, qualis Paulus est, in opinione de deo consentire amarem. Quamquam auctoritatem nullam temere nec in rebus, quae ad fidem, nec in iis, quae ad scientiam pertinent, agnoscendam opinor; nec etiam

verbum dei (vel, ut verius eloquar, verbum, in quo deus explicatur) cuius aliqua pars epistolae sunt Pauli, excipiendum meo iudicio est. Id enim, pariter atque alii libri, in quibus idem petitur, nihil aliud mihi esse videtur nisi conamen, cognitionem dei penitus explanandi et declarandi, id quod a Christo motum ab apostolis varîe excultum est, neque errori obnoxium esse non potest, non magis quam reliqua humana; nemo enim nisi deus errore vacuus. Quod si igitur Paulus cum iis, quae ipse de rebus maximis gravissimisque sensi atque excogitavi, quaeque hoc loco breviter exposui, convenerit, magnopere laetabor; sin minus, equidem ab admonitione et meliore consilio, praesertim cum Paulus omnibus rebus, quae homini venerandae sanctaeque esse debent, sit maxime inspiratus, non abhorreo, etsi ipsum illud dictum, quod ille sibi reservavit, mihi quoque reservandum duco: πάντα δοκιμάζετε, τὸ καλὸν κατέχετε.

Atque opto, ut idem in hac nostra, quam sum propositurus, quaestione valeat.

Quod si igitur primum considerandum erit, quam esse rationem inter deum et Christum putaverit Paulus, vel quem Christo locum in imperio divino assignaverit, duo potissimum loci digni esse videntur, qui omnino examinentur, e quibus meo iudicio satis patebit, quid ipse de hac re senserit. Hi loci sunt Coloss. 1, 15 sq. et Philipp. 2, 6 sq. Hic vero non id agitur, ut hi duo loci usque ad singula verba enucleentur, et explicationibus aliorum interpretum multum detur temporis (id enim a proposito nostro alienum), verum id, ut brevi ostendatur, qua ratione Christum vel cum deo vel cum

toto mundo coniunctum esse Paulus iudicaverit. Consideremus igitur primum Coloss. 1, 15 sq.

Hic aperte inter deum et Christum distinguitur; nec enim dicit: *ὅς ἐστι θεὸς ὁ ἀόρατος*, verum eum appellat *εἰκόνα τοῦ θεοῦ τοῦ ἀοράτου*, visibilem speciem dei invisibilis, et tamquam personam; id enim *ἡ εἰκὼν* exprimere videtur. Porro eum appellat *πρωτότοκον πάσης κτίσεως*, eoque significat, quomodo ad creationem mundi se habeat. Pariter atque mundus ipse quoque creatus est, nec differt nisi tempore. A quo alio autem creari potuerit nisi a deo? Christum autem ante reliquorum creationem esse natum, eo demonstrat Paulus, quod universum, mundus, cui annumerat classes illas animorum, discedens in ea re a falsis doctoribus, quorum praecepta impugnare studet, *ἐν αὐτῷ, δι' αὐτοῦ* et *εἰς αὐτὸν* sit natus. Sic Christo vim vigentem assignat. Deus enim universum non per semetipsum sed per medium Christum creavit; (Ephes. 3, 9. modo receptam tuearis lectionem) nec agentem tantum vim Christo tribuit, sed etiam conservantem, *τὰ πάντα ἐν αὐτῷ συνέστηκε*. Inde a versu 18. transit Paulus ad eam, quae inter Christum sit atque ecclesiam, rationem explicandam. Id autem eo tantum ad nos pertinet, quia hic quoque deum et Christum diserte secernit, ac reconciliationem dei cum universo per Christum fieri docet. Ut Christus cuncta munera, quae ei a deo sunt tradita, praestare posset, omnibus facultatibus divinis, quae erant necessariae, ornatus est. *ἐν αὐτῷ εὐδόκησε (ὁ θεὸς) πᾶν τὸ πλῆρωμα κατοικῆσαι* (Cf. Ephes. 3, 19.) iisque etiam tum, cum conditionem hominis fere-

bat, indutus fuerat. Coloss. 2, 9. ἐν αὐτῷ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς.

De hac conditione, quam conditionem humilitatis Christi appellare possumus, quaeque conditioni eius nativae opposita est, Paulus etiam altero loco dicit, Philipp. 2, 6 sq., non tamen, ut praecepta tradat dogmatica, id quod loco epist. ad Coloss. fecit, verum potius, ut Christum tamquam exemplum summae modestiae proponat. Secundum conditionem nativam Christus fuit ἐν μορφῇ θεοῦ, quo aperte significatur (ut ex oppositione v. 7. patet) conditio eius, antequam mundus sive terra extiterit, idemque quod in Coloss. 1, 15. εἰκὼν τοῦ θεοῦ. Christus visibilis species erat dei, velut persona, sub qua deus ipse se manifestavit et effinxit; nihilominus tamen id non praedam esse putavit, id quod, ut ex opposito patet, nihil aliud significare potest nisi, non tanti esse opinatus est, ut pariter atque praeda tenendum sit, nempe deo similem esse, cum πᾶν τὸ πλήρωμα τοῦ θεοῦ ei inesset; sed semetipsum exiit forma dei, (μορφῇ τοῦ θεοῦ) cum alia forma recepta (μορφῇ τοῦ δούλου) homo factus esset omnibus virtutibus divinis praeditus (σχῆματι εὐρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος) cf. Coloss. 2, 9. Rom. 5, 15.

Neque tamen his duobus tantum locis Paulus exposuit, quid de ratione Christi ad deum senserit. Sunt alii plures loci in epistolis eius, in quibus non de industria sed obiter de eadem re dixit. Quorum ii, qui maxime sunt graves, sufficient. Attamen iam praefandum est mihi, me id, quod alii dicunt, cum opinantur, in his locis duarum personarum dei mentionem fieri, verum esse negare. Nemo enim in epistolis

Paulinis ullum locum reperire potest, qui doctrinae trinitatis, qualis postea in ecclesia tradebatur, adeoque 1. Ioh. 5, 7. in contextum novi foederis intrusa est, faveat vel eam adiuvet, nemo denique ex epistolis Pauli sanctum spiritum personam esse demonstrare poterit.

Sic Christus aperte deo subiicitur 1. Cor. 11, 3. *παντὸς ἀνδρὸς ἡ κεφαλὴ ὁ χριστός ἐστι, κεφαλὴ δὲ γυναικὸς ὁ ἀνὴρ, κεφαλὴ δὲ χριστοῦ ὁ θεός* et 1. Cor. 3, 23. Agit secundum dei voluntatem, nostrorum peccatorum gratia se sacrificans Galat. 1, 4. Rom. 3, 24. Deus est, qui eum in terram misit. Galat. 4, 4. Rom. 8, 3. Deus est, qui eum a mortuis resuscitavit, Rom. 4, 24. et 6, 4. pariter atque nos quoque resuscitabit. 1. Cor. 6, 14. 2. Cor. 4, 14. 1. Thessal. 4, 14. Deus est, qui eum propter obsequium remuneratur, Philipp. 2, 9. atque adeo a dextra eum sedere iussit. Ephes. 1, 20. Atque in ipso eius reditu deus est, qui per eum iudicium habebit. Rom. 2, 16. 1. Thessalon. 3, 13. 2. Thessalon. 1, 6. 7. 1. Tim. 6, 14. 15. Ac simul Christus munus a deo traditum perfecit, omnesque hostes perdomuerit, reddet regnum sibi commissum deo patri, filius patri se subiicit, *ἵνα ἡ ὁ θεὸς τὰ πάντα ἐν πᾶσιν*. 1. Cor. 15, 24. 27. 28.

Ex his locis apparet, Paulum haec sentire de ratione Christi ad deum:

Deus, ὁ ἐπὶ πάντων καὶ διὰ πάντων καὶ ἐν πᾶσιν ἡμῶν (Ephes. 4, 6.) est quiescens, et putat apostolus, tempus extitisse, quo deus sibi ipse suffecit, quo deus solus extitit. Id enim primum erat, quod agebat,

ut Christum crearet: quo autem corpore fuerit ornatus, non aperte dicitur, nisi id *μορφῇ θεοῦ* (Philipp. 2, 6.) significet; id tantum dicitur, deum *πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος* in Christum transtulisse. Tum deus medium per Christum universum creavit, idemque Christus est, per quem universum conservatur.

Hic igitur Christus in terris apparuit, humano corpore indutus, etsi omnibus divinis virtutibus ornatus; nec tamen sponte sua, verum deo iubente, cui libenter obsecutus est, opus absolutionis efficiens, postea ad deum rediit, unde aliquando deo mandante ad iudicium veniet: tum demum cum omnia sibi subiecerit, imperium a deo sibi commissum reddet, ita ut tunc deus pariter atque ante creationem Christi denuo sit omnia in omnibus (*τὰ πάντα ἐν πᾶσιν*).

Patet vero, opinionem hanc Pauli niti in eadem sententia, quae *λόγῳ* Ioannis inest; nec minus verum est, disciplinas tunc temporis philosophorum multum in ea re valuisse, atque adeo apostolos commotos fuisse, ut Christum iis virtutibus ornarent, quae eum illis commendarent, qui decretis ac placitis philosophorum imbuti erant. An autem id ipsum studium rei atque veritati non nocuerit, certe quaeri potest; sed ex omnibus locis epistolarum Paulinarum elucet, eum putare, Christum deo esse subiectum, nec tantum *κατὰ σάρκα*, sed etiam *κατὰ πνεῦμα*, id est, non in conditione tantum humilitatis, sed etiam in conditione altitudinis.

Si brevi dicendum est, quid ipse de Christologia Paulina sentiam, id iam ex iis patet, quae supra in prooemio dixi. Deum ab universo secretum fingere

non possum, nec scio quid deus quiescens sive otiosus sibi velit. Ut enim nec animus humanus nec ulla mens sine corpore vigere potest, ita ne mens quidem dei. Corpus autem sive materia, in qua deus viget, universum est. Ut deus secundum mentem aeternus est, ita universum quoque aeternum. In eo tantum differunt, quod mens aeterna et immutabilis, universum autem sive materia sempiterna atque mutabilis. Nihilum autem non existit; ideo universum sive materia nec ex nihilo nasci nec in nihilum reverti potest. Nihil est in toto universo, quod prorsus ita intereat, ut ne vestigium quidem eius sit reliquum: attamen omnia mutationi subiecta sunt, atque in ipsa hac perpetua mutatione rerum vis semper vicens mentis divinae manifestatur, quam plerumque conservatricem nominamus, quaeque certis legibus naturae a deo conditis potens est. Si autem deus non sine universo cogitari potest, meo iudicio vis agens Christi evanescit; recuso quasi alterum deum qui ipse agat, dum alter quiescat. Sed cum Christus corpore humano in terris apparuerit, hominem eum fuisse puto, nec effari possum, ubi, antequam natus erat, fuerit, nec quo post obitum decesserit, id quod de ceteris quoque mortalibus ignoro. Id vero teneo, Christum pariter atque reliquos homines atque cetera animantia secundum mentem sempiternum fuisse ac fore.

Sed revertamur ad Paulum. Quod si ex iis, quae adhuc diximus, patet, secundum eam, quam secutus est Paulus rationem, Christum deo esse subiectum, etsi propior sit ad deum quam ceteri mortales; haud facile credamus, Paulum Christo nomen dei tribuisse. At-

tamen obiicitur, inveniri in epistolis Paulinis locos quosdam, in quibus Christus aperte deus appelletur, id quod cum ab aliis tum nuperrime in libro Tholuckii (Litterarischer Anzeiger N^o. 4. 5. 7. 17. 1837.) propositum est. Opus igitur erit, ut hi loci examinentur atque argumenta, quae pro hac opinione afferuntur, probentur. Loci, quibus illa opinio confirmatur, sunt hi: Rom. 9, 5. Tit. 1, 3. 2, 13. 3, 4. 1. Timoth. 3, 16.

Equidem miror, non eodem iure Ephes. 5, 5. Coloss. 2, 2. (secundum textum Lachmanni) 2. Thessalon. 1, 12. 1. Timoth. 5, 21. huc vocatos esse. Omnes hi loci in eadem disputatione obiter quidem memorantur, et pro argumento quodam adhibentur, nec tamen vis eorum accuratius explicatur.

Sic enim Eph. 5, 5. ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ χριστοῦ καὶ θεοῦ contenditur, unum his verbis subiectum inesse, ideoque articulum ante θεοῦ suo iure omissum esse. Ut id refellam, praecepto quodam, quod in hac ipsa commentatione statutum est, utar. Legimus enim hoc praeceptum, quod veritate sane non caret: „Nisi in nominibus propriis vel in iis nominibus, quae eandem habent vim, aut si alterum nomen ab altero satis per se distinguitur, ita ut confundi nullo modo possint, articulus in alterutro nomine deesse non potest.” Quid vero? χριστός et θεός nonne sunt nomina propria? aut si θεός id non valeat, nonne θεός eiusmodi nomen est, quod eandem cum nominibus propriis habeat vim ac mentem? Atque adeo ne virtus quidem singularis eo significatur velut cum dicitur πατήρ (v. 20.), sed is significatur, qui omnes virtutes summa perfectione atque cumulate includit in se, itaque certa persona exprimitur: non

aliud igitur habendum nisi pro nomine proprio. Quis porro, cum *θεὸν* et *χριστὸν* iuxta collocatos videt, hos unam personam esse opinabitur, nisi animus praeiudicio iam erit obcaecatus? In hoc autem loco, de quo agitur, ambo iuncti sunt, quia secundum eam, quam Paulus secutus est, rationem Christus regnum deo iubente condidit, atque regnum Christi regnum quoque dei esse putatur. Quare nemo hic articulum ante *θεοῦ* aegre desiderabit.

Locus Coloss. 2, 2. nullius prope momenti esse potest, cum de lectione eius multum dubitetur, atque adeo, si receptam sequaris, *τοῦ μυστηρίου τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς καὶ τοῦ χριστοῦ*, vel, si lectionem Griesbachii, qui levibus quidem argumentis nixus, *καὶ πατρὸς-χριστοῦ* omittit, tuearis, nullam sane offert difficultatem. Ea autem re memorabilis est, quod ex illa lectione, quam Lachmannus nonnisi auctoritate codicis B et Hilar. in contextum vocavit, *τοῦ μυστηρίου τοῦ θεοῦ χριστοῦ*, perspicui potest, qua ratione opinio recentior ab ecclesia approbata, Christum esse deum, aperta vi in contextum novi foederis obtrusa sit, unde confusio notionum exorta est, qualem nullam alioqui in scriptis novi testamenti vidimus. Nam in hac lectione *θεός*, quo semper certa persona indicatur, aperte nihil aliud est nisi adiectivum, et si eandem sequeris analogiam Ephes. 5, 5. legendum erat, *βασιλεία τοῦ θεοῦ χριστοῦ*, vel quod non minus perversum est, *τοῦ χριστοῦ θεοῦ*.

2. Thess. 1, 12. *κατὰ τὴν χάριν τοῦ θεοῦ ἡμῶν καὶ κυρίου Ἰησοῦ χριστοῦ*. De hoc loco in libro Tholuckii nihil aliud dicitur, nisi omissionem articuli regulae non repug-

nare, non magis quam 2. Petr. 1, 1. et amplius demonstrandum esse, in utroque loco non de uno Christo agi. Id vero cum eo ostendi potest, quod ad Ephes. 5, 5. diximus, tum eo argumento, quia articulo facile caremus, cum *κυρίου* addito *Ἰησοῦ χριστοῦ* satis definiatur, et praeterea gratia dei sola per medium Christum vigeat, itaque nec deus nec Christus in ea re deficere potest.

Ad 1. Timoth. 5, 21. *ἐνώπιον τοῦ θεοῦ καὶ κυρίου Ἰησοῦ χριστοῦ* non opus est respici, cum is locus ab eo ipso praetermittatur, adiecta adnotatione, *Ἰησοῦ χριστοῦ* articulum non desiderare tamquam nomen proprium: verum cum ita sit, cur 2. Thessal. 1, 12. ubi etiam *ἡμῶν* interiicitur itaque utraque persona accuratius distinguitur, huc trahendum putavit? Si porro ex auctoritate codicum A D* F G *κυρίου* abiciendum, atque ex iisdem testibus, si F excipias, *χριστοῦ Ἰησοῦ* legendum erit, intellectus loci eo clarior atque apertior fit, et ex eo argumentum peti potest, Paulum, aut quisquis auctor est prioris epistolae ad Timotheum, omnino inter deum atque Christum distinxisse; nemo enim affirmabit, et *θεοῦ* et *χριστοῦ* tamquam adiectiva voci *Ἰησοῦ* adiecta esse, sed aperte alterum tantum.

Transimus ad eos locos, qui in libro Tholuckii velut argumenta opinionis illius afferuntur.

Quod ad Rom. 9, 5. attinet, quaestionem iam solutam esse putat auctor post labores Tholuckii, Rueckertii, Olshausenii et Usterii, et ab omnibus prope vulgo credi, hunc locum argumentum certum divinitatis Christi esse, quare iam eum praetermittendum esse arbitratus est.

Interea denuo eum ponderare atque examini subiicere mihi liceat, ut intelligatur, an tantum valeat.

Qua in re propter ipsum contextum etiam quatuor priores versus huc trahere opus est, etsi breviter tantum id tractandum erit. Apostolus hoc loco dolorem intimum exprimit verbis, quod quasi totus populus Iudaeorum ex regno Christi salutari sit exclusus. Ea quidem res obiter tantum v. 3. significatur, virtutes autem populi singulas enumerat, quae specie quidem Iudaeis ius civitatis vindicare sponte debebant. Quod veritatem doloris tam diserte profitetur, id eo factum est, cum tamquam apostolus ethnicorum a Iudaeis acerrimus populi sui adversarius haberetur.

V. 4. „Veritatem dico in Christo, nec mentior, conscientia teste, in spiritu sancto.” In hoc versu atque in sequenti parallelismus inest; nam *ἀλήθειαν λέγω* respondet *οὐ ψεύδομαι*, nec aliter *ἐν χριστῷ* alteri *ἐν πνεύματι ἁγίῳ*. Haec orationis forma ex affectu animi enata est. Non enim acquiescit in simplici affirmatione, ut veritatem profiteatur, sed ad augendam vim negativo quoque affirmationis genere usus est. Ut *ἀλήθειαν λέγω* et *οὐ ψεύδομαι* eandem plane habent mentem, nec aliter secundo versu *λύπη μεγάλη* et *ἀδιάλειπτος ὀδύνη*, ita se habet *ἐν χριστῷ* et *ἐν πνεύματι ἁγίῳ*. Utrumque enim idem significat, momentum illud christianum, quod voce *πνεῦμα ἅγιον* exprimi solet. Quicumque hoc reputaverit, non amplius *ἐν πνεύματι ἁγίῳ* iunget cum *συμμαρτυρούσης μοι τῆς συνειδήσεως μου* i. e. *συμμαρτυροῦντός μοι διὰ τῆς συνειδήσεώς μου πνεύματος ἁγίου*. Illud *συμμαρτυρούσης-μου* interrumpit sententiam, quippe paren-

thesis est, quam Paulus adiecerat, ut melius confirmaret veritatem et sinceritatem eorum, quae dicturus erat. Conscientiam enim pro argumento attulit.

Quaeritur autem, quomodo *ἐν* cum dativo hic intelligendum sit? Non est sane obtestandi formula, veluti, per Christum, per sanctum spiritum, praesertim cum altera obtestationis forma non alibi reperitur, nec prior consuetudine adiuvetur, verum potius aut *διὰ* cum genitivo aut *πρὸς* cum genitivo ponatur. Sit igitur in Christo, in spiritu sancto, velut is, qui quam maxime cum Christo, cum spiritu sancto coniunctus, ab eoque animatus et inspiratus est, quique, cum spiritus sanctus ante omnia spiritus veritatis sit, longissime a mendacio abest.

V. 2. indicat rem, quam affirmare studet. »Quod magnus mihi sit dolor et indelebilis luctus animo meo.» Hic quoque una sententia ad vim augendam duplici modo exprimitur *λύπη μεγάλη* et *ἀδιάλειπτος ὀδύνη, μου* et *τῆ καρδία μου*.

V. 3. Ea res, propter quam dolore affectus est, non aperte sed obiter tantum indicatur *ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν μου*. Versu sexto demum populum quasi totum Iudaeorum a deo repudiatum esse dicit, deumque propterea vindicare studet. Hoc autem loco sinceritatem doloris profitetur (unde *γὰρ*) ostenditque, quantum amorem erga populum suum sentiat, et quantopere se saluti eius dedere cuperet, si ei prodesset.

»Vellem enim victima esse (caput sacratum, devotum) a Christo, pro fratribus, gentilibus meis secundum genus.» Imperfectum indicativi *ἤνυχόμεην* exprimit, id, quod optet, fieri non posse. Vellem, at fieri non pot-

est. Cf. Galat. 4, 20. Imperfectum positum est, propterea quod desiderium, tamquam aliquid, quod perfici non potest, iam res praeterita esse videtur.

ἀνάθεμα. Plerumque inter *ἀνάθημα* et *ἀνάθεμα* distingui solet immerito, quasi alterum in bonam, alterum in malam partem vertatur. Proprie significat id, quod in honorem dei propositum est velut donum, quodque ideo ab impuris manibus tangi nefas, et a ceteris rebus separatur tamquam sacrum. Id a scriptoribus Iudaicis ad eas res translatum est, quae in honorem Iehovae delentur, ut qui eas detestetur; unde Iehovae aliquid ita devovere, ut deleatur, ideo *ἀνάθεμα* res delenda. Hoc igitur vocabulo verterunt septuaginta interpretes נִחֵם , caput Iehovae devotum, sacratum, detestandum. Atque abstractum pro concreto ponitur ad vim augendam pro eo, qui est devotus, detestatus, delendus, qui mente ac corpore exitio dandus est, ut ex pluribus locis apparet, ubi hoc vocabulum ad res christianas translatum est. Cf. 1. Cor. 16, 21. 12, 3. Galat. 1, 8. Actor. 23, 14. Altera vero significatio derivata, exterminium ignominiosum ex ecclesia, huc trahi non potest, cum Paulus quam maxime vim sententiae intendat. Ac fortasse menti eius obversatum est dictum Mosis, 2. Mos. 32, 32. *καὶ νῦν, εἰ μὲν ἀφεῖς αὐτοῖς τὴν ἁμαρτίαν αὐτῶν, ἄφες. εἰ δὲ μὴ, ἐξάλειψόν με ἐκ τῆς βίβλου σου, ἧς ἔγραψας*. Ceterum haec vocabula in codicibus vario collocantur ordine, aut ut in recepta *αὐτὸς ἐγὼ ἀνάθεμα εἶναι*, aut *ἀνάθεμα εἶναι αὐτὸς ἐγὼ*. Lachmannus secundum in textu posuit, et praefendum videtur, cum *αὐτὸς ἐγὼ* propius iungendum sit cum *ἀνάθεμα* quam cum *ἠνχόμεην*, et A B D E F G cum ea con-

sentiant. αὐτὸς ἐγὼ non idem quod ἐγὼ αὐτός. Illud intendit amplius ἐγὼ, unde vertendum „ich wünschte ein Fluch zu sein, ich, von Christo weg.“ ἐγὼ αὐτός autem tunc ponitur, cum oppositio inest, ego ipse, non alius. ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ. Nunc non amplius explicant, ἀπὸ idem valere quod ὑπὸ vel παρά, cunctique interpretes volunt esse iungendum cum ἀνάθεμα, caput devotum et procul a Christo secretum. cf. Galat. 5, 4. 2. Thessalon. 1, 9.

In eo enim Paulus detestationem maximam versari putat, cum ex societate Christi et ex regno eius salutari fuerit eiectus.

Nihil autem supra optare poterat nec quod magis veritatem doloris ostendit, cum Christus regnumque eius cuncta ipsius vota impleret.

ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν μου. Haud parum interest, qua ratione ὑπὲρ explices, pro fratribus, id est, in gratiam fratrum, an loco eorum. Consuetudo utrumque patitur; verum, si interpretaris loco eorum, nimis intendes sententiam, quam ex mente Pauli. Sic enim Iudaeos devotos atque ex communione Christi eiectos esse, ideoque se partes eorum in se recepturum fore, dixisset. Atqui Iudaei ii non sunt; nam nihil aliud adhuc commiseri nisi ut evangelio oblato aures non praeberent. Paulus id tantum dicit, libenter se crudelissimum passurum esse, si ad salutem popularium aliquid conferret, eosque ad viam salutarem revocare posset. Esto igitur ὑπὲρ pro i. e. in gratiam. Vocabulum ἀδελφῶν, quo Iudaei utebantur, ut concilium populi sui significarent, quodque tum Christiani maiore iure ad societatem suam transfere-

bant, verbis sequentibus τῶν συγγενῶν μου κατὰ σάρακα accuratius circumscribitur, ne qua ambiguitas oriretur.

V. 4. Paulus singulas virtutes recenset, quarum tamquam populus a deo dilectus Iudaei fuerant participes, et ex quibus verisimile erat, eos ante omnes novum inituros esse foedus cum deo. „Qui sunt Israelitae, qui a deo gentem trahunt, quorum gloria et foedera et legislatio, et cultus et promissa.”

Ἰσραηλῖται nomen honorificum, tamquam nepotes Iacobi, praeliatoris cum deo. Genes. 3, 28. 2. Cor. 11, 22. υἱοθεσία gens Iudaeorum filii dei habentur, gens dilecta filii Iehovae dicuntur. 5. Mos. 14, 1. Ἡ δόξα. Contextus postulat, ut huic verbo propria tribuatur vis, nec cum υἱοθεσία per ἐν διὰ δυοῖν iungatur, praesertim cum ex repetito καὶ perspicui possit, apostolum virtutes singulas deinceps annumerare. Simplicissimum erit, δόξα τοῦ θεοῦ, κυρίου illam esse putare, quae populum per deserta comitabatur, in monte Sinai ostendebatur, et supra arcam sacram modo nubi modo igni similis splenduit, כבוד יהוה. 2. Mos. 13, 21. 22. 16, 7. 10. 40, 34. 35. id quod LXX. ubique verterunt δόξα κυρίου. Κυρίου autem hic omisum esse, neminem offendet, qui reputaverit, cetera verba cuncta nonnisi ad deum referenda esse, atque tenorem sententiae hac adiectione turbatum fore. αἱ διαθήκαι. Foedera cum deo inita. Pluralis occurrit etiam in Ephes. 2, 12.; ea enim saepe instaurata sunt vel cum patriarchis, vel cum Mose, vel cum aliis. Singularis ἡ διαθήκη, quem Lachmannus recepit, non minus convenit, eoque magis, quod Cod. B Dgr Egr

F Ggr confirmetur. Ἡ νομοθεσία aut legislatio in monte Sinai, momentum in historia Iudaeorum celebratissimum, aut ipsa lex. Attamen vocabulum ipsum (alioqui enim curni τὸν νόμον dixit?) et natura reliquarum virtutum, quae omnes ad singula facta referri possunt, velut ἡ δόξα, modo ita accipiatur, ut diximus, priorem adiuvat explicationem. Ἡ λατρεία cultus dei, qui Iudaeis proprius fuit, et sacrificiis magnam partem constabat, ἡ νομικὴ ἱερουργία, Theodoret. Hic cultus virtutibus annumeratur, cum aliae gentes crudeliter et parum honeste deos suos colerent.

Αἱ ἐπαγγελίαι, promissa patriarchis data, et per prophetas dei nomine effata, maxime ea, quae de Messia sunt.

V. 5. Continuatur enumerare virtutes populi Iudaici, et concluditur cum doxologia. » Quorum patres et ex quibus Christus secundum genus, qui supra omnia deus est, benedictus in secula. Amen.» aut: »Deus, qui supra omnia, sit benedictus in secula. Amen.»

οἱ πατέρες. Patriarchae, Abraham, Isaac et Iacobus recte intelliguntur. Rom. 4, 28. Actor. 3, 13.

καὶ ἐξ ὧν ὁ Χριστός et inter quos Messias exortus est, ex quibus originem traxit. τὸ κατὰ σάρκα quod genus suum adtinet. Actor. 2, 30. supra, 1, 3. Hanc tantum virtutem Iudaeis tribuit, quod Messias ex iis genus duxerit. De dignitate divina Messiae oblata hoc loco dicendum non erat; id enim loci huius non est, et potius seriem sententiae interrumperet, vel, cum enumeratio virtutum cum hac desinat, adderet aliquid, quod nemo hic desideraret.

Prorsus aliter res se habet supra, 1, 3. Ideo τὸ

κατὰ σάρκα non supervacuum, nec necessario oppositum aliquod desideratur, verum excludit potius omnia opposita. τὸ κατὰ σάρκα non eandem habet vim quam κατὰ σάρκα. Illud τὸ non auget tantum vim vel accuratius circumscribit, ut Dewettii est opinio, sed vetat simul, quo minus de alia re, veluti πνεῦμα, cogitetur. Nostrates dicunt „nämlich wohlverstandendem Fleische nach“. Comparatio locorum similium optime id demonstrabit. Infra c. 12, 18. τὸ ἐξ ὑμῶν valet, quod ad vos certe pertinet; nempe pacem conservare ad ὑμᾶς tantum circumscribitur, nec ad πάντες respici potest. c. 15, 17. τὰ πρὸς τὸν θεὸν cogit, ut id, quo gloriatur, ad deum tantum non ad homines quoque referatur. Etiam 16, 19. huc pertinet, si τὸ vera est lectio, et Actor. 2, 30. si τὸ κατὰ σάρκα recipiendum erit. Igitur hoc loco tantummodo de Messia, quod ad originem suam terrestrem pertinet, dicitur, ob eamque rem populo tribuit honorem, ex quo natus est: dignitas autem eius coelestis non ad certum populum pertinet. Contextus igitur postulat, enumerationem virtutum maxima atque summa omnium terminari, nec adiacere aliquid, quod nil commune habeat cum populo Iudaeorum, idque illo τὸ κατὰ σάρκα cavetur. His simul, quid de verbis sequentibus sentiam, est dictum; ea enim non ad Christum, verum ad deum referenda arbitror. Illos autem, qui ad Christum ea retulerunt, reliqua sententiae conformatione commoti, me iis, quae supra dixi, puto iam refutasse. Restat igitur, ut verba secundum grammaticam aut consuetudinem interpretemur. Quod primum ad ὁ ὧν ἐπὶ πάντων adinet, amabo alterum in epi-

stolis Paulinis locum invenire, in quo simile quiddam de Christo dicatur. De deo haec diserte traduntur Ephes. 4, 6., nec de Christo tradi posse, elucet ex doctrina Pauli, a me supra exposita. At obiiciunt, constructionem fore faciliorem, si ad Christum verba referas.

Auctores huius opinionis volunt *ὁ ὢν* idem esse atque *ὅς ἐστι*; at sic scribendum erat *ὁ ἐπὶ πάντων*, non articulo omisso, nisi accipias, *θεός* appositionem esse illius *ἐπὶ πάντων*. Sed tum quid *εὐλογητός*? Adiectivum esse et cum *θεός* iungendum, inquirunt. Qui supra cuncta, deus, est benedictus cet. Si autem haec contorta non est sententia, nullam aliam umquam contortam esse putabo. Quod si autem *εὐλογητός* sensum proprium circumscribit, atque *ἔστω* vel *εἴη* supplendum erit, quae sane facilius esse videtur explicatio, necesse erat, ut *αὐτός* praecederet; verum enim erat *αὐτός εὐλογητός* vel *ὅς ἐστιν εὐλογητός*. cf. Rom. 1, 25. 11, 36. Ephes. 3, 20. Rom. 10, 27. Galat. 1, 5. 2. Timoth. 4, 18. 2. Cor. 11, 31.

Equidem hanc explicationem simplicem esse nego. Transeamus igitur ad alteram. Sententia a subiecto incipit *ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεός*, praedicatum est *εὐλογητός* atque supplendum *ἔστω* vel *εἴη*. *ὢν* dicitur redundare, si comparaveris Ephes. 4, 6. Si quem hoc offendat, is praemittat tamquam subiectum *Ὁ ὢν ἐπὶ πάντων*, ut supra 8, 27. *θεός* autem tamquam appositionem. Quid simplicius esse potest? Is, qui supra cuncta excelsus, deus, sit benedictus in secula. Amen! At, inquirunt, *εὐλογητός* plerumque in doxologiis in principio sententiae ponitur. 2. Cor. 1, 3. Ephes. 1, 3.

sed eodem modo quo hoc loco reperies Rom. 1, 25. aut δόξα loco eius ut in Ephes. 3, 20. Philipp. 4, 20. 1. Timoth. 1, 17. Atque collocatio tota conformatione sententiae pendet, quae variabilis est, nec ullus particulam δέ, quam nonnulli respicientes 1. Timoth. 1, 17. tamquam transitionis particulam optabant, si ad deum referenda esset sententia, desiderabit, quia ὁ ὧν ἐπὶ πάντων aperte deum in memoriam revocat. Postremo obiiciunt, Paulum divina beneficia Iudaeis tradita ideo enumerasse, ut ostenderet, quantopere occasio sibi data sit, non deo gratias agendi, sed sortem fratrum dolendi. Concedo, sed quo plures virtutes enumerat, eo minus illud ante oculos obversatur; clementia enim dei ac sapientia, quae in iis manifestatur, movet eum ad admirationem et ad benedictionem, quippe omnes hae virtutes nihil aliud sunt nisi totidem beneficia immerita dei, quorum summum et maxime princeps missio Messiae est. Quid autem simplicius, quam ut sine longo transitu in doxologiam erumpat, eumque, a quo haec omnia beneficia, atque adeo omnia, quae omnino existunt, sunt orta, praeclara laude praedicet?

Sic certissimum arbitror, Paulum hic de deo, non de Christo loqui, praesertim cum nulla alia doxologia ad Christum versa in epistolis Paulinis inveniatur, optoque, ut argumenta a me prolata, quaeque ab aliis quoque iam magnam partem proposita sunt, a viris doctis vera esse iudicentur. Accommodatione ego abstineo, ad quam Erasmus aliique inclinavere, qui aut post κατὰ σάρκα, aut, si id minus commodum esse videbitur, post πάντων interpunxerunt, itaque θεός cet. ad deum retulerunt.

Ceterum quod ad locos attinet, qui in libro Tholuckii, quem supra citavi, pro argumentis divinitatis Christi afferuntur, epistola potissimum ad Titum ea est, ex qua multa petuntur. Haec vero epistola omnino paraenetica, praeceptaque continet Tito praesidi ecclesiae Cretensis data. Loci, qui dogmatici habentur, non ita sunt explicandi, tamquam auctor praecepta harum rerum tradere voluisset, sed fons atque fundamenta sunt, quibus adhortationes nituntur.

Primus locus est Tit. 1, 3. Hoc enim loco in illis *ἐν κηρύγματι, ὃ ἐπιστεύθη ἐγὼ κατ' ἐπιταγήν τοῦ σωτῆρος ἡμῶν θεοῦ* Christus tamquam deus intelligendus dicitur. Argumenta pro hac opinione allata sunt haec:

1. Si *θεὸς* deus pater esset, repetitio vocabuli *θεός*, qui v. 2. commemoratur, ibique subiectum sententiae est, non conveniret, et legibus stili repugnaret. Tum *αὐτοῦ* ponendum erat. Quod si porro apostolus subiectum repeteret, ut vim augetet, et melius significaret, eundem deum, qui verbum suum manifestavit *ἐν κηρύγματι*, ipsi evangelium mandasse, sic quoque *αὐτοῦ* addendum erat, *κατ' ἐπιταγήν τοῦ αὐτοῦ θεοῦ, τοῦ σωτῆρος ἡμῶν*. Sin vero *θεὸς* Christum significet, omnia facillime intelligi auctor dicit, apostolum enim dicere: Deus verbum suum manifestavit *ἐν κηρύγματι*, idque mihi commissum est iubente salvatore nostro deo; atque ad id ducere, quod appositio *τοῦ σωτῆρος ἡμῶν* praeposita sit.

Verum ante omnia mihi edicendum est, unumquemque, qui iudicio suo liber nec ulla opinione captus est, cum vocabulum *θεός* in novo testamento depre-

hendat, statim de deo, summo gravissimoque rerum auctore cogitabit. Quod si contra sententiarum nexus atque constructio verborum huic interpretationi repugnet, alia fere admittenda erit. Videamus igitur, an id in hunc locum cadat. Id sane mirum, quod *θεός* iungatur cum *ὁ σωτήρ ἡμῶν*, cum hoc epitheton Christo plerumque tribuatur, eaque res praecipua causa esse videtur, cur hic locus pro argumento divinitatis Christi habeatur. Nonne autem auctor epistolae infra c. 2, 10. *θεὸν* eodem modo *τὸν σωτήρα ἡμῶν* appellat? nonne versu ipso 11. huius epitheti explicat causam? Nec tamen ullus Christum hic intelliget, non magis quam 1. Timoth. 2, 3. ubi similiter versu 4. illustratur, et 4, 10. Nullam video rationem, cur deus non pari iure atque Christus *ὁ σωτήρ ἡμῶν* appelletur. Hic namque consilium *τῆς σωτηρίας ἡμῶν* cepit, et Christus nil nisi consilium perfecit. Nil igitur refert, utrum primum advocem auctorem, an in proxima causa nitar. Paulus, quamvis deum non alio loco *τὸν σωτήρα ἡμῶν* appellaverit, idem tamen exprimit 1. Cor. 4, 21. *εὐδόκησεν ὁ θεὸς διὰ τῆς μωρίας τοῦ κηρύγματός σῶσαι τοὺς πιστεύοντας*. Sic hoc epitheton non necessario ad Christum referendum erit. Et eam ob causam praeposuit, quod tamquam *σωτήρ* hanc *ἐπιταγήν* mandaret deus. Repeti autem *θεοῦ*, quamvis modo v. 2. adesset, nec *αὐτοῦ* poni, non adeo legibus stili repugnat, ut statim de alia persona cogitare sit necesse. Subiectum *θεός* satis remotum est, atque iam per *αὐτοῦ* in illo *λόγον αὐτοῦ* ad id respicitur: quid mirum, si iteratur, praesertim cum epitheton addatur, quocum iungi necesse erat. Nec

per se erat necessarium, ut apostolus diceret, τοῦ αὐτοῦ θεοῦ, τοῦ σωτήρος ἡμῶν, idque pendebat ab libero auctoris arbitrio, qui praeterea epitheton propter vim praeponere malebat.

2. Alterum argumentum, tamquam de Christo sit sermo, in eo ponitur, ut Paulus numquam alibi ἀπόστολος κατ' ἐπιταγὴν θεοῦ sc. πατρὸς, sed ubique ἀπόστολος διὰ θελήματος θεοῦ nominetur. Cf. 1. Cor. 1, 1. 2. Cor. 1, 1. Ephes. 1, 1. Coloss. 1, 1. 2. Timoth. 1, 1. Dicunt porro, id non idem esse atque κατ' ἐπιταγὴν. θέλημα enim esse voluntatem, consilium dei, ἐπιταγὴν mandatum, iussum, quod ex consilio dei proficiscitur. Paulum διὰ θελήματος θεοῦ, voluntate sive consilio dei apostolum creatum esse, unde se vocaverit ἀπόστολον διὰ θελήματος θεοῦ. Sed consilium dei per Christum perfectum esse, qui cuncta peragat et efficiat, quae consilio dei decreta sint, quique etiam Paulo apostolo munus τοῦ κηρύγματος ipse tradiderit.

Sed arbitror, θέλημα et ἐπιταγὴν non eo differre, quod primum opponitur derivato, sed θέλημα potius generale est, ἐπιταγὴ speciale. Ideoque apostolus, cum de dignitate sua tamquam apostolus dicat, recte dicere potest, se esse ἀπόστολον διὰ θελήματος θεοῦ, cum autem de re speciali loquitur, velut de mandato suo τοῦ κηρύγματος, quo a ceteris apostolis distinguitur, (idque in illis ἐφανέρωσε-κηρύγματι inesse puto) curni ἐπιταγὴν ponere potuit? Sic Rom. 16, 26. recte κατ' ἐπιταγὴν τοῦ αἰωνίου θεοῦ dicitur, quia illud dei consilium, ut secretum ab imis temporibus inde conditum per prophetas aperiat, speciale quiddam est.

3. Ex Tito, 1, 4. ubi Christus ὁ σωτήρ ἡμῶν appellatur, argumentum affertur, ut in v. 3. de Christo sit sermo; mirum enim fore dicunt, si apostolus in duobus deinceps locis unum idemque praedicatum duobus subiectis tribuat. Ubi enim apostolus deum et Christum uno loco iungat, deumque σωτήρα appellet, Christo aliud praedicatum tribui. 1. Timoth. 1, 1. Iud. 25.

Idem accidit infr. c. 2, 10. 13. et c. 3, 4. 6. eoque explicari potest, quod apostolus σωτηρίαν, a deo decretam, a Christo simul peractam putat, ideoque, cum Christum memorat, epitheton, quod huic rei aptum est, ei tribuit. Deum vero atque Christum pari modo σωτήρας appellandos esse, idque ex ratione tantum, qua rem consideramus, pendere, iam supra monui.

Igitur hunc locum pro argumento divinitatis Christi non habuerim.

Alter locus, ex quo argumentum divinitatis Christi petitur, est Titus 2, 13. προςδεχόμενοι-ἐπιφάνειαν τῆς δόξης τοῦ μεγάλου θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ.

Argumenta, quae afferuntur pro eo, ut τοῦ μεγάλου θεοῦ pariter atque καὶ σωτῆρος ἡμῶν ad subiectum Ἰησοῦ χριστοῦ referatur, haec sunt:

1. Collocatio verborum huic rei conveniens est. Si enim duo subiecta adessent, scripsisset auctor, τοῦ μεγάλου θεοῦ καὶ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ. Omissio articuli non ab arbitrio pendet, sed a certis regulis. Cum igitur regula exigat, si dua plurave substantiva, adiectiva vel participia eodem genere, numero, casu per καὶ vel τε-καὶ iungantur, articulum semel tantum poni, et ante primum quidem nomen, modo unam eandemque rem exprimant. Deinde si no-

mina deinceps iuncta varias personas sive res significant, vel si unum alteri opponatur, aut si singula propriam habeant vim, articulum unicuique adiici, et nonnisi in nominibus propriis, vel in iis nominibus, quae eandem habent vim, aut si alterum nomen ab altero satis per se distinguitur ita ut confundi nullo modo possint, articulus in alterutro nomine deesse potest. In hoc autem loco priorem regulam adhibendam esse putant, nec omissionem articuli, ut Winerus Gr. p. 123. conatus est, eo excusandam, quod σωτήρως per ἡμῶν satis definitum sit, ideoque articulus non amplius desideretur. Veluti si legas καὶ ἐπιφάνειαν τῆς δόξης Ἰησοῦ χριστοῦ, τοῦ μεγάλου θεοῦ καὶ σωτήρως ἡμῶν, omnes fatebuntur, θεοῦ et σωτήρως tamquam duo praedicata nomini proprio Ἰησοῦ χριστοῦ adiecta esse, nec ullus omissionem articuli per adiectionem ἡμῶν vindicare conabitur.

Ego quoque simile exemplum proposuerim, dicens: Cum in textu esset: καὶ ἐπιφάνειαν τῆς δόξης τοῦ μεγάλου θεοῦ καὶ Ἰησοῦ χριστοῦ τοῦ σωτήρως ἡμῶν, quis non de duabus personis, de deo et de Christo cogitabit? Cum autem appositio praecedat articulusque ab ea absit, de uno subiecto cogitandum censent. Sed appositio praemittitur propter vim, et quod refertur ad προσδεχόμενοι et ἐλπίδα; articulo caret, non propter ἡμῶν, sed quia σωτήρ addito nomine proprio Ἰησοῦ χριστοῦ satis definitum est, et quia praeterea ambo subiecta, et deus et Christus, proxime sunt iuncta, et unam quasi rem exprimunt (id quod infra illustrabitur), atque distinctio inter haec duo nomina iam per se tam aperta et manifesta est, ut ambiguitas inde

oriri non possit; omnes enim, qui *θεὸν* et *χριστὸν* iunctos vident, de duabus personis cogitant.

2. Auctor argumentum novum, ut verba de uno subiecto intelligantur, ex *ἐπιφάνειαν τῆς δόξης* petit. Id iure de *παρουσία* intelligit, de reditu Christi ad iudicium habendum, aliter atque Heydenreich, qui haec verba de nostra gloria, a deo et Christo nobis aliquando tribuenda, intelligenda esse existimat. Putat autem, eos, qui *θεὸν* et *σωτῆρα* diversas personas esse velint, verba non aliter nisi de duplici *παρουσία* divinae maiestatis accipere posse, tum de *παρουσία* τῆς δόξης patris, tum de *παρουσία* τῆς δόξης Christi salvatoris. Id verum esse nego. Nam maiestas patris manifestatur ipso in filio, maiestoso filii reditu etiam pater, quo iubente redibit, splendore et gloria augeatur. Gloria filii non alia nisi gloria patris, non eo, quia ambo unum tantum idemque efficiunt, sed quia filio a patre tradita est. Ideo ubique, cum reditus filii memoratur, et deus et Christus iunctim laudantur. Sic Rom. 2, 16. iudicium deo tribuitur, sed per medium Christum. 1. Thessalon. 3, 13. in *παρουσία* τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ eodem modo deus pater commemoratur. Porro 1. Thessalon. 4, 14. 2. Thessalon. 1, 6. 7. 1. Timoth. 6, 14. 15. Etiam Matth. 16, 27. ad hos locos referri potest, cum pater quoque laudatur, velut is, qui filio *δόξαν* traditurus sit, et item Lucas 9, 26. Ideo profecto mirum erat, si hoc loco Christus solus nominaretur, non deus simul, sine quo ἡ ἐπιφάνεια Christi existere non posset.

3. Postremo epitheton *μεγάλου* ante *θεοῦ* argumento esse debet, ut illud *θεοῦ καὶ σωτῆρος* ad Christum

solum referatur. Dicunt enim, deum patrem in novo testamento numquam τὸν μέγαν θεὸν vocari, ὁ θεὸς velut summam omnium rerum non desiderare epitheton *μεγάλου*; Christum autem, qui ex deo homo factus est, qui quantus et excelsus sit a multis ignoretur, desiderare hoc praestans epitheton, quod magnitudinem eius atque praestantiam ostendat. Mirum sane argumentum. Deus, summa omnium rerum magnarum excelsarumque non eget epitheto. Sed cum de aliqua re dicatur, in qua magnitudo eius atque maiestas manifestatur, nonne magnum eum appellare fas est? Et cum de ea re dicatur, qua sapientia eius potissimum ostenditur, nonne sapientem eum nominare fas est? Sic certe Paulus non agere solet. Deum enim appellat Rom. 16, 27. σοφόν, 1. Cor. 1, 9. πιστὸν cet, ut contextus quoquo loco exigit. Quid autem? cum deus maiestatem suam prae omnibus in reditu Christi ostendat, ideoque iure μέγας vocetur, hoc epitheton ad Christum solum referemus, qui hoc modo deum superaret? Dicunt enim, deum simpliciter θεὸν esse appellandum, et cum maximo in splendore summae maiestate versatur, ita ut μέγας sit appellandus, tum non amplius deum esse, sed Christum, qui ex deo homo factus est.

Sic ne hic quidem locus pro argumento divinitatis, Christi habendus erit.

Sequitur alter locus Titus 3, 4. ἡ φιλανθρωπία τοῦ σωτηῆρος ἡμῶν θεοῦ.

Sed nescio quomodo res se habeat. Nullus adest adversarius. Disputatio, quae in libro Tholuckii prodiit, iam finita, et hic locus, qui in principio pro

argumento divinitatis Christi afferebatur, interpretationi non amplius subiectus est. Ac fortasse auctor iam ceteris locis satis propositum suum demonstrasse arbitratur, ita ut non amplius opus sit, hunc quoque locum illustrare, aut mutavit sententiam suam, dum scribebat commentationem, nec amplius eo vult uti pro argumento. Hanc postremam opinionem veriorum esse arbitror. Quicumque enim locum sic, ut contextus postulat, considerarit, intelliget, de deo non de Christo hic agi. Deus, quem v. 4. τὸν σωτηῆρα ἡμῶν appellat, subiectum est verbi ἐξέχεεν v. 6., cum eoque iungendum est διὰ Ἰησοῦ χριστοῦ τοῦ σωτηρος ἡμῶν. Etiam ἐκείνου v. 7. ad deum respicit, eumque diserte a Christo distinguit. Ita hic locus non solum non argumentum divinitatis Christi est, sed potius confirmat id, quod ad c. 1, 3. 4. diximus. Hic enim pariter atque superiore loco θεὸς appellatur σωτήρ, mox Ἰησοῦς χριστὸς item σωτήρ vocatur, non alia ex causa, nisi quia deus consilium σωτηρίας cepit, Christus perfecit deo iubente. Nec aliter res se habet c. 2, 10. 13. Hic quoque θεὸς σωτήρ praecedit, et ex analogia reliquorum locorum verisimile est, etiam Ἰησοῦν χριστὸν σωτήρα succedere, eaque est ratio, cur v. 13. Ἰησοῦ χριστῷ hoc epitheton tribuerit, quod v. 14. amplius illustratur. Ut autem auctor epistolae σωτηρίαν et deo et Christo iunctis tribuit, ita etiam ἐπιφάνειαν τῆς δόξης, sive τὴν παρουσίαν. Ea autem pariter atque σωτηρία a deo Christo mandatur, ita ut Christus utramque perficiat.

Quid ergo erit simplicius, quam deum atque Christum in ea re una commemorari? idque ipsum fit c. 2. v. 13.

Quamvis autem haec ratio, quantum ad *σωτηρίαν* pertinet, cum disciplina Pauli non pugnet, nihilominus mirandum est, Paulum in ceteris epistolis hac compositione usum non esse, nec deum umquam τὸν σωτήρα ἡμῶν appellasse, sed hoc epitheton nonnisi in his tribus locis epistolae ad Titum invenitur, et in 1. Timoth. 1, 1. 2, 3. 4, 10.

Id si comparaveris cum eo, quod Bauerus in libro suo: Die sogenannten Pastoralbriefe des Apostels Paulus, Stuttg. u. Tübing. 1835. magno cum acumine attulit, dubitationem movere potest, an epistolae pastorales ab ipso Paulo originem traxerint. Verum sic quoque elucebit, auctorem epistolarum, quisque ille fuit, ubique deum atque Christum diserte distinxisse, nec umquam huic epitheton θεοῦ tribuisse, nec confusioni opinionis, quae postea in ecclesia exorta est, obnoxium fuisse.

Restat 1. Timoth. 3, 16. Et hic quoque locus in principio commentationis pro argumento affertur, etsi postea non amplius illustratur, sed potius praetermissus est, ea fortasse ratione, quia lectio incerta est. Quaeritur enim, utrum primum in textu fuerit: θεὸς ἐφανερώθη, an ὁς ἐφανερώθη, an ὃ ἐφανερώθη. Equidem in Griesbachio acquiescam, cuius fidem doctrinamque addubitandam non puto. Secundum hunc auctorem θεὸς in uno codice unciali I legitur, etsi in plerisque codicibus cursivis. OΣ, non ΘΣ est in AC a prima manu, et in F Ggr. 17. 73. B E H sunt lacunosi. In cod. D primum erat O, idque postea in ΘΣ commutatum est. Versiones cunctae legunt aut ὁς aut ὃ excepta Arabica polygl. et Slavonica, ms. et ed., quae θεὸς vertunt.

Sed verisimilius est, θεὸς ex ratione dogmatica in

textum illatum esse, cum hic locus ab omnibus patribus latinis quod vertatur, et antiquissimis temporibus a patribus graecis numquam contra eos advocetur, qui divinitatem Christi negarunt, velut contra Arianos principio dissidii. Etiam Cyr. Alex. eo non utitur contra Iulianum imper. aut Nestorium. Cum vero iam auctoritas critica $\delta\varsigma$ praeferat, etiam eo verisimilius est, $\delta\varsigma$ tamquam lectionem difficiliorem esse veriore, quia δ solum propter *μυστήριον* textui subiiciebatur, et si ab origine in textu fuisset, numquam pro eo $\delta\varsigma$ ponebatur. Item si $\theta\epsilon\delta\varsigma$ primum erat et ab ipso auctore profectum, haud facile δ aut $\delta\varsigma$ inde ortum esset. In lectione $\theta\epsilon\delta\varsigma$ cupiditas dogmaticorum aperte ostenditur, ut in Coloss. 2, 2. Non contenti, hanc lectionem codicibus suis subiici, eandem in illos codices intrudere volebant, quos descripturi erant, unde commutabatur cod. A C et D.

Ex his omnibus elucet, hunc quoque locum non pro divinitate Christi pugnare, cum extra dubium positum videatur, $\delta\varsigma$ nec $\theta\epsilon\delta\varsigma$ veram esse lectionem, idque de nemine alio nisi de Christo intelligi possit, qui gravissimis vitae suae partibus describitur.

Sic ad finem commentationis meae perveni, speroque, libertatem opinionis et integritatem me usque tenuisse. Existimo quidem, me demonstrasse, Christum in epistolis Paulinis deum non vocari, idque secundum doctrinam Pauli, qui deum et Christum ubique diserte et palam distinxit, fieri non potuisse.



